



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia IV. Prosopopœia Timoris diuini, arcentis Cupidinem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Intonat horrificas ad sua tela faces.  
 Septenas ramosa vias vbi compita scindunt,  
 Hac & septenas mors iubet ire feras.  
 Effera turba truci circum bacchata tumultu,  
 Heu! malè securum cingit vbique latus.  
 Hinc sæui ira lupi, premit inde draconis hiatus,  
 Hinc pardi rabies, tigridis inde furor:  
 Omnigenumq; vlulat circum horrida sæcla ferarū,  
 Quas parit è Stygio Cypris oborta lacu,  
 Cocytusque nigrans pascit liuente veneno,  
 Aut piceo nutrit torua Mægæra sinu.  
 Quidquid & incesto sibi mundus adulter ab Orco  
 Parturit, exacuit dente vel vngue minas.  
 Hic scelus omne, timorq; dolorq; necisq; libido,  
 Et furor, & cæco nata furore lues.  
 Quin etiam locus infidiis cæcisque periclis  
 Opportunus: obit fraus malè fida nemus.  
 Ecce, leui spargunt nebulâ caua retia myrtum,  
 Quæ textit tereti Cypria lena comâ.  
 Quot tenues animas filo capit aucepe nubes  
 Textilis, & cæcis implicat illa dolis!  
 Nec satis hoc: laqueos pedibus subtexit auaros:  
 Rete caput, fallunt vincla dolosa pedes.  
 Quis locus effugio est, Cælum si militat Orco,  
 Et parat aëniis Styx fera bella plagis?

## ELEGIA IV.

*Prosopopœia Timoris diuini, arcen-  
 tis Cupidinem.*

**M**ILLE per ambages quacumq; volubilis error  
 Merapit incertum, deuia regna sequor.

A 6

Sed

Sed quisnam strepit hinc, strepit inde susurrus ad  
 aures?

An nemo Acolidum ludicra bella sonat?  
 An crepitat saliens altis de rupibus amnis,  
 Argutove canit plumea turba choro?  
 Vox hominē sonat ista, meas quæ ludit ad aures.  
 Fallimur? humanis vox sonat ista modis;  
 Alternumque ferit concordi murmure murmur:  
 Quæ licet, arcanos insinuabo pedes.  
 Quis scit an hinc fors præda meis sit idonea votis,  
 Et fera, quam miti mulceat ore Deus?  
 Iamque ibam penetrare gradum: ter reppulit hostis.  
 Nescio quis; dextrâ tela facesque gerit.  
 Scilicet ille suis me finibus improbus arceat:  
 Cypridis hinc, dixit, myrtea regna virent:  
 Hinc & Cyprigenum sua regia frondet Amorum,  
 Scenaque festiuis plaudit amœna iocis.  
 Quin etiam hoc luco pulchris stat arena duellis,  
 Qualia lascivius prælia miscet Amor.  
 Flammarum est, quodcumque vides, belli que  
 supellex,  
 Unde suas domitant Cypria castra feras.  
 His ego de myrtis, simul his ego de cyparissis  
 Mille lego tædas, spicula mille lego.  
 Unde Cupidineis accendo pectora flammis;  
 Mollia dum molli vulnera figo manu.  
 Dixit, & intentat armata pericula ferro,  
 Ac mea fumantes flammat ob ora faces.  
 Me licet umbroso ferus arceat hostis a sylo,  
 Intrepido rumpam frondea septa pede.  
 Quod non currit iter sanctus timor ille, timoris  
 Nescius, inuicto spes cui nixa Deo est?

Ex aliis alias victor transcurrit in oras.  
 Non timet vlla sacer fata vel arma timor.  
 Ni prece vel pretio perrumpat ahenea victor  
 Pectora, fulmineis subruet illa minis:  
 Atque adeò hunc viridi depellet ab arce tyrannū,  
 Qui flammam iaculis myrtea regna suis.

## ELEGIA V.

*Timor diuinus MAGDALENAM  
 mortis admonet.*

**M**AGDALIS ad myrtum (Veneri gratissima myrtus)

Sedit, & ab vitreo parturit orbe decus.  
 Assurgit turritus apex, fastumque superbam  
 Fronte struit, stringit lactea bacca comas.  
 Osque atro stibio, sputoque venenat & ostros;  
 Mentitusque genas fucus adulter obit.  
 Sape genas Dryades, vultus hos saepe Napææ  
 Miratæ; hic celeres sustinuere choros.  
 Formosæ Dryades, formosam fronte Napææ:  
 Sed pretium formæ Magdala sola tenet.  
 Hæc inter fuscâ quis nescio canus in umbrâ  
 Astitit: an fallor? mortis imago fuit:  
 Seu potius leti timor; ales arundo sinistra  
 Cui tremat, & dextrâ clepsydra fracta sedet.  
 Ille manu mulcens humeros comætis, & umbras  
 Ora, leui dixit murmure: Come caput;  
 Magdala come caput, variisque refinge figuris.  
 Unica te mortis pallida larua manet.  
 Pinge caput violis, variisque repinge lapillis;  
 Nil faciet cineri picta corolla tuo.

A 7

O quam